









1790, 8<sup>b</sup> Wiesand identisch mit 14<sup>b</sup>



7790, 1<sup>b</sup>  
2  
FACVLTATIS MEDICAE  
*IN ACADEMIA VITEBERGENSI*

H. T.

D E C A N V S

D. GEORGIVS RVDOLPHVS  
B O E H M E R

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACAD. SENIOR PHYSICVS PROV.  
SOCIET. OECON. LIPSIENS. SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

D. XXXI. MENS. AVGVSTI CICLOCCXC.

HABENDAM

INDICIT

1910. 9. 7. 18

ET

TABVLARVM SYNOPTICARVM, QVIBVS GENERA  
PLANTARVM DISPONVNTVR, EXEMPLA

PROPONIT.

*Spat. I.*

*K*

ACADEMIA MEDICAE  
IN NOVISSIMA LATISSIMA

DIGANIA

D G E O R G I A S F A D O L T H A S  
N O E H M E R

THEATRUM MEDICO CHIRURGICO ET PHARMACEUTICUM  
EXPOSITUM QVOD MEDICO SENIORIS FRANCIS BOV

SANGUARIN MEDICVM

XXXI. LIBRA. A. 1500. DECIM

HISTORIA

INVENTI

PLATONICUM, PYTHAGOREANUM, ORBAN CIVICVM  
PASTORALIUS, ETC. ETC. ET ALIA PRACTICA

.T. .

**G**enera plantarum, eademque adhuc magis, quam species, in Tabulis Synopticis disponenda esse, in priori Prolusione ideo maxime exoptauimus, quia omnium fere, huc usque inuentarum, methodorum classes, ordines, aliaeque subdivisiones, et si non omnes, plurimae tamen, amplae nimis sint et copiosa genera comprehendant. An vero tabularis eiusmodi dispositio, qua genera, secundum assumptam methodum in una classe contenta, ita ordinantur, ut a se inuicem sufficienti modo discernere et quodlibet iam notum atque descriptum cognoscere, vel nouiter inuentum atque nondum receptum esse, intelligere possimus, locum habeat, et minus exercitatos botanicos vere iuuet, dubium forsitan videtur. Certe si charactere essentiali omnes instructae essent plantae, sive signo aliquo singulari, constantissimo et plantae, cui inest, semper proprio, facile quamlibet ab omnibus aliis ita discernere possemus, ut eam propter illam unicam notam hanc, nec aliam esse, certi sciamus. Ast, licet LINNAEVS Phil. Bot. p. 121. in plerisque generibus notam aliquam singularem fructificationis obseruari, affirmet, in plurimis tamen talis nondum est detecta et vix quoque unquam detecturam fore, existimamus; immo, si etiam adesset eiusmodi character distinctius, ille modo in plantis iam cognitis inueniendis, non autem nouis et nondum determinatis cognoscendis sufficeret; posset enim disquirenda planta character, hactenus ipsi proprio, conuenire cum alia, iam definita, eademque nota insignita, an autem eadem sit et cum eodem genere coniungenda, nondum certe constabit, quia aliis proprietatibus ab illo recede-



re poterit; ideoque tunc necesse erit, vt ipsiae generum definitiones euoluantur omnesque characteres disquirantur, quo appareat, an omnes illi etiam in hac ignota planta ad sint, nec ne, et an species sit iam cogniti generis, an propter alios et discrepantes characteres tanquam proximum quidem, ast vere nouum genus considerari debeat. Haec autem difficultas et ambigua disquisitio facile quidem superari et certius cognosci posset, si non vnuus, sed plures characteres admittantur et in Tabulis exprimantur; verum hac ratione Tabulae fierent nimis ampliae et disquisitio difficilior et taedio-fior redderetur; hinc quo breuiores et concinniores eiusmodi Tabulae construuntur et quo pauciores characteres adducuntur, eo magis facilitari disquisitionem, existimamus. Quis enim aliis characterum in plantis usus, quam vt discentes omnium facillima via peruenire possint ad plantarum cognitionem.

Quo autem clare pateat, quaenam tabularis dispositio, et an illa, quae plures, an ea potius, quae pauciores pro vno genere cognoscendo characteres continet, praef-ferri et imitari debeat, quaedam nunc adducamus exempla. MORISONVS forte primus fuit, qui in Tabulas plantas dispo-suit, et hinc Ipse scripsit Praef. nullum ante se a nota illa generica ac essentiali in methodum vegetabilia per tabulas cognationis et affinitatis reduxisse; idemque vere in Vmbelliferis praestitisse constat, in aliis autem classibus species potius, quam genera in tabulis exhibuit atque a se inuicem separauit; ideoque potius RAJO gratias debemus, quia pri-mus, quantum quidem nobis innovuit, omnium, eo tem-pore cognitorum et ad vnam classem pertinentium generum dispositiones tabulares exhibuit. En tabulam, ex omnibus vnam, in Eius methodo emendata Lond. 1733. edit. pag. 119. contentam, quam breuitatis cauifa elegimus: Her-

Herbae bulbosa radice donatae, sunt eadem vel  
 quamosa, caule  
 folioso, floribus  
     erectis Lilium  
     nutantibus Martagon  
     nudo Lilio Hyacinthus.  
 tunicata vel  
 graueolentes, foliis vel  
     fistulosis Cepa.  
     solidis, bulbo  
         composito Allium, Moly  
         simplici  
     angusto Porrum  
     tumidiori Allium sylv.  
 odore minus graui, aut nullo, flore  
 enneapetalo, petalis sursum flexis  
     bisidis, Iris bulbosa  
     integris, Sifyrinchium  
 hexapetalo  
     imo fructu cohaerente  
     liliaceo pendulo Corona Imp.  
     erecto Tulipa  
     stellato, flor. staminibus  
         lati Ornithogalum  
         anguifl. Hyacinth. stellat.  
 summo fructu insidente, floribus  
     liliaceis Lilionarcissus  
     campanulatis pendulis Leucojum bulb.  
 monopetalo  
     summa fructu insidente  
         cum calice in medio Narcissus  
         flore irregulari Gladiolus  
     basi fructus cohaerente Hyacinthus  
 solida foliis  
     angustis Crocus  
     lati Colchicum.

Et hac ratione omnes suae methodi classes disposuit  
 atque paucis characteribus notatis plantas sufficienti modo a  
 se inuicem separauit, earumque disquisitionem egregie faci-  
 litauit. Cum veo radix, caulis et folia, secundum recentio-  
 rum



rum principia, ad definienda genera non sufficient, omne potius distinctionis fundamentum a flore, fructu atque semine desumi soleat, Raianam operam laudare quidem, non vero imitari debemus.

Certiori fundamento suam superstruxit methodum TOURNFORTIVS, atque propterea hic quoque nominare debemus Eius Epitomacorem CHRIST. BERNH. VALENTINI, qui Tournefortium contractum sub tabularum forma euulgauit, et, vti in praefat. scribitur, quasuis plantarum classes ex auctore sic in tabulis disposuit, vt vno statim intuitu omnibus illarum generibus ob oculos positis species subalternae eo facilius addisci et distinguiri possint. Verum, si tabulas ipsas inspicimus, genera inter se non distincta fuisse, ideoque etiam easdem minus sufficere, facile intelligimus. E. gr.

Herbae, flore monopetalo campaniformi distinguntur:

Sect. I. cuius pistillum abit in fr. mollem et crassiusculum { Mandragora  
Belladonna

Sect. II. - - in fr. mollem et exiguum { Lilium conuall.  
Polygonatum  
Ruscus

Sect. III. - - in fr. siccum capsularem { Cerinthe  
Gentiana  
Hydrophyllum  
Soldanella  
Convolvulus

Sect. IV. - - in semen unicum { Tithymalus  
Glaux  
Oxys  
Rhabarbarum.

eodem

codem modo reliquae et huius, et omnium classium sectiones sunt constructae.

RIVINVS, ut TOVRNEFORTIVS, clauem quoque suae methodi, minime classium tabulares dispositiones Ipse exhibuit; succedit vero Eius imitator KRAMERVIS, qui in Tentamine botanico emendato et aucto hunc laborem suscepit spissumque tabularum volumen edidit et de his ipsis in praef. p. 24. scripsit: Blaterauit criticus durior, quod tabulas botanicas construxerint, et alii, quod etiam alii tabulas botanicas construxerint, sed non intelligunt tabulas, aut veritatem fugiunt, sunt enim illae tabulae generales, neque ultra summa genera diuisae, meae autem sunt speciales, immo specialissimae, in species usque diuisae et p. 15. botanophilum, his meis tabulis pro recta et infallibili diagnosi plantarum uti volentem, moneo, quod in iis omnes plantarum species recensuerim methodo noua, succincta et tabulis ambages non ferentibus, congrua et debita et s. p. Verum licet Ille non vulgari industria subdivisiones plurimas constituerit, illae tamen utri nullo modo inseruire possunt, cum primarium subdivisionum fundamentum ut plurimum a characteribus minus certis atque genuinis desumserit, ipsasque divisiones propter notatas et saepe repetitas species nimium multiplicauerit, speciesque ipsas plerumque non characteribus determinauerit, sed nominibus tantummodo Tournefortianis adduxerit; ideoque nec genera, nec species commode inueniri et cognosci possint. Quo affectum nostrum eo clarius pateat, particulam Tabulae cuiusdam p. 33. constructae addamus.

Her-



8 Herbae flore perfecto simplici regulari pentapetalo plano ad latera f. foliorum alas  
sparlo, Seminibus  
nudis

quinis, in capitulum rostratum  
non congestis, calice aequabiliter decafido Sibaldia  
congestis Gruinalis haemotodes { supina foliis incisis { majus  
erecta flore minori et f. p. vltiorem distributio-  
nem debemus omittere.

calice quinquifido Geranium  
plurimis in capitulum congestis, Herba

▽ folio  
simplici orbiculato peltato Ranunculus aquat. fol. vmbil.  
hederaceo Ranunculus aquat. alb. heder.  
pinnato mer. et capillaceo Ranunculus aquat. Petuc. fol.  
partim orbiculari Ranunculus aquat. fol. rot. et capill.

▽ capitulis seminal. echinatis, caule  
flagelliformi

pentaphyllo Pentaphyllum minus repens  
pinnato Pentaphylloides foliis  
integris argenteum  
bi vel trifidis orientale

non flagellante Pentaphylloides supinum.

tectis capsula

simplici fol. serpilli

vniervio Spergula multicaulis,

quinquenervi. Spergula plantag. fol.

tripartita ter bilisperma et trigona Telephiooides

quadripartita quadrivalui muricata fol. pinnato Tribulus { fol. Ciceris { turbinato  
quinqe partita subrotunda fol. simplic. Cistus salviae fol. fr.  
quasi filixa corniculata multipl. breui Fagonia  
longa siliquosa cylindracea fol. simpl. { orbiculari non aurito Fabago  
pericarpio monopyr. Sem. cochleato Kali spinosum. { aurito Corchorus

fociato

conferto

verticillato &c.

Dispositionem generum tabularem, quam LUDWIGVS et WEDELIVS exhibuerunt, aliasque, quae LINNAEI methodum illustrant, proxima occasione considerabimus; nunc enim ad Illum deueniendum est, cuius honori hoc, quicquid est scriptoris, dicauimus, scilicet

NOBILISSIMVM ET DOCTISSIMVM

**DN. IOANNEM PETRVM WOOSTIVM**

LEVLICIO - MISNICVM

MEDICINAE CANDIDATVM DIGNISSIMVM,

qui nunc Ipse vitam suam, huic vsque in praeclaris studiis laudabiliter actam, modeste exponet.

*Natus sum anno huini seculi sexagesimo tertio, die septimo mensis Junii, in pago Leulitz dicto, in ditione Misuiensi, Patre IOANNE PETRO, Venatore, Maire MARIA DOROTHEA e gente KESTNERIANA, quos parentes adhuc superfites pio gratoque animo veneror. Optimi hi parentes curarunt, ut in sanctissimae religionis primis initiis et litterarum rudimentis primum erudirer a magistris priuatis; deinde in Lyceum, quod Loebauiae in Lusatia Superiori floret, delatus fui, ubi in litteris, quae ab humanitate nomen habent, institutus sum ab Ampl. M. HEINITIO Rectore, Clariſ. BECKELIO Conrectore et M. KITTELIO, quibus pro ea, qua in me fideliter instruendo vbi sunt, benevolentia ac solertia gratissimum animum laetissime publice hic testifactor. Ita præparatus anno octuagesimo quarto Lipsiam me contuli, ubi a Rectore Academiae tunc temporis Magnifice WENCKIO in ciui-*

b

um




um academicorum numerum relatus, omne tempus medicarum disciplina-  
 rum discendarum studio dicari. In hac litterarum uniuersitate audiui  
 celeberrimos et praestantissimos Doctores, Exc. PLATNERVM, uniuersi-  
 tam Philosophiam et morum doctrinam explicantem, cuius scholis me  
 interfuisse, semper laetabor; BIENERVM Ius naturae docentem; GEHLE-  
 NVM jun. Matheseos, quam appellant puram, initia exponentem; ER-  
 NESTIVM Xenophoniis Memorabilia et CLODIUM Horati quaedam po-  
 emata interpretantem. His doctrinis instrutus, nunc, quae proprie-  
 medicinam spectant, mihi cognita reddere annis sum; in Herbarum  
 cognitione POHLIVM, Virum Illustrem, nunc Serenissimi nostri Electo-  
 ris Archiatrum, ducem fui secutus, qui etiam disputando et examinando  
 meum ingenium exercuit, meque consiliis in regunda riteque inspi-  
 tuenda studiorum meorum ratione mirifice adiuvit, et cui pro Eius pro-  
 pensa in me voluntate et beneficis in me collatis grates resero maximas.  
 Exp. KÜHNIO, cui ob insignem benignitatem me obstridissimum sentio,  
 debo Physis experimentalis cognitionem. Materiam medicam nec  
 non Chemiam experimentis illustravit mihi Exp. ESCHENBACHIVS, cu-  
 ius in me benevolentiam et humanitatem grata mente semper recolam.  
 Anatomen uniuersam mihi explicauere Exp. HAASIVS nec non Exp.  
 LYDwigIVS, cuius tanta in me fuit humanitas et benevolentia, ut satis  
 a me laudari non posset; item beatus Prost. WERNER me doctuit  
 quaedam anatomiae capita. In Pathologia, Semiotice, Therapia ge-  
 nerali, Praxi clinica, Medicina forensi et infantum morbis. Experient.  
 KRAVSIUM, cuius insignem benignitatem, qua me ornauit, hic resereo  
 non possum, ducem me habuisse, gratius laetusque commemororo. Ma-  
 gnicus nunc beatus BOSIVS mihi et generalem Therapiam et Medi-  
 nam

nam forensem explicauit, benivoleque concessit copiam aegros in urbis nosocomio publico visendi. Exp. FRANZIVS, nunc beatus, cuius propensum in me animum praedico, enarrauit mihi historiam medicinae litterariam, morbos literatorum, illorumque dietam, morbos mulierum, Pharmaciam, Celsus interpretatus est, et exercitus disputatorius me exerceuit. In Pathologia, per anatomiam illustrata, nec non in arte chirurgica usus sum Exp. LVLWIGIO. In morbis oculorum PLATNERVM grata mente adhuc veneror praeceptorem, et tandem in morbis nosocomicis, tractandis praeceptor mihi extitit Exp. HEBENSTREITIVS. Summi Numinis prouidentia, horum optimorum Praeceptorum et Fautorum benignitate et patrocinio etiam contigit, ut stipendio Waltheriano sustentatus ad studiorum meorum metam accedere potuerim.

Clarissimus hic Candidatus, studiorum cursu feliciter peracto, ad nostrum Ordinem accessit atque Licienciati honores modestie petuit; et cum in Examine instituto optima profectuum suorum specimina dederit, decretum est, ut sub Praesidio Excellent. et Experientissimi Doct. et Profel. LEONHARDI Dissertationem *de Aphthis Infantum*, die XXXI. Mens. Aug. publice defendat. Solemni ergo huic Actui, ut RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PERILLVSTRES LIBERI BARONÈS, PROCERES GRAVISSIMI, PATRONI ET FAVTORES GENEROSIQUE ET NOBILISSIMI CIVES beneuelle interesse velint, obseruantissime ac humanissime rogamus.

P. P. Dom. XIII. p. Trinit. MDCCCLXXX.



9. P. Domini MIL h. Tempore MDCCCLXXVII

6. The Dowry XUL b. Thrice MDCCCLXXXII

Wittenberg 1 Diss. 1790  
vol 18

f

3

ULB Halle  
003 769 283



sb.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Farbkarte #13

Blue



2790, 1 b  
2  
FACVLTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GEORGIVS RVDOLPHVS  
BOEHMER

RAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACAD. SENIOR PHYSICVS PROV.  
SOCIET. OECON. LIPSIENS. SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

D. XXXI. MENS. AVGVSTI CICLOCCXC.

HABENDAM

INDICIT

1910. 2. 7. 18

ET

BVLARVM SYNOPTICARVM, QVIBVS GENERA  
PLANTARVM DISPONVTVR, EXEMPLA

PROPONIT.

Spat. I.